

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De victore Idumaeorum Es. 63, 1 - 6

**Abicht, Johann Georg
Pfaffreuter, Christoph Heinrich**

Leipzig, 1712

VD18 14793431-ddd

§. XVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130619](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130619)

nubes advolant & sicut columbæ ad fenestras suas, qua interrogatione non interrumpitur sed continuatur vaticinium, uti lectoribus patet, quod iterum contra Grotium moneatur, qui antecedens vaticinium a nostro divellit,

§. XVI.

II.) De personis colloquentibus notandum est, eas fuisse DEum & Prophetam. & quidem in Trinitate eam personam, quæ se in V-T. ut plurimum Prophetis manifestavit. Prophetam Jesaiam loquutum esse, ex antecedentium & consequentium consideratione satis superque elucescit. Hoc sine ratione non asserimus, DEus enim Prophetæ revelavit in antec. cap. quæ felicitas futura sit Judæis, licet in captivitatem dimittantur. Nec dubium est Prophetam in eadem visione conspexisse virum veste sanguine commaculata indutum, & ex Idumæorum regione venientem, quo conspecto quæsiuit quis iste, qui venit ex Idumæa, conspersis vestibus ex Bozra? prophetias enim connexas esse supra vidimus. Quam visionem deinceps, prout ipsi oblata erat, conscripsit, & populo Judaico proposuit. Et quia Propheta intellexit, promissiones, quas ex Dei ore perceperat, pertinere ad Judæos, ideo Judaicæ Ecclesiæ nomine Deo gratias egit cap. LXIII, 7. *visitationes Domini repetam &c.* In nostro tamen loco, qui peculiarem visionem alicujus Victoris continet, Propheta suo nomine quæsiuisse videtur, quod Daniel alique Prophetæ frequenter fecere. Iste enim, cui visio oblata est, quæsiuit ex Victore, quis esset, cui etiam Victor aliquoties respondet. Non apparet itaque ratio, ob quam cum Cornelio a Lapide Sionem & Hierosolimam in interrogantis locum substituamus. Multo minus approbanda Patrum sententia, qui hoc vaticinium pro dialogo Angelorum quærentium & respondentis Christi habuerunt. Audiamus Hier, ad h. l. *Interrogant igitur angeli, rei novitate perterriti; mysterium enim Resurrectionis & Passionis Christi.*

Christi secundum Apostol. Paulum cunctis retro generationibus fuerat ignotum. Quis est iste, qui de terra cruentus advenit? Nec melior est Athanasii sententia, qui Libr. de salutari Christi adventu putat hæc verba esse Diaboli a Christo victi & pudefaæti. Audiamus eum fol. 550. Ea enim de causa accedebat Diabolus ad Jesum tanquam ad hominem, ceterum non inveniens in eo veteris suæ superfeminationis vestigia, neque in presenti tentatione successum, superabatur cum pudore atque in hæc verba prorupit: quis est iste, qui venit ex Edom? h. e. terra hominum incedens cum tanta potentia & robore? Sed, quos Pontificii cum Patribus flagunt, sensus mystici nec ab ipsis sanioribus Pontificiis approbantur, vid. Richard. Simon. Hist. Crit. V, T. LIII.

§. XVII.

Christum cum Jesaia colloquutum esse nulli dubitamus, partim quod Ecclesiæ veræ defensio, hostiumque destructio ad officium ejus regium pertineant, partim quod in humana forma Prophetæ nostro apparuerit, partim denique quod Patres Ecclesiæ Deum Patrem hominibus sese per Filium manifestasse profiteantur; Audiamus ex illis Eusebium Præparat. Evangel. L. VII. XII. p. 321. καὶ δὴ τόνδε τὸν ἐν Θεῷ λόγον διαφύρας ἡ Θεῖα γεγραφή, πρὸς τῷ πατρὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων σωτηρία πεπευσμένον εἰσάγει. αὐτὸν δὲ ἐν καὶ ὡς ἀβραάμ κωσῆ τε καὶ τοῖς ἄλλοις Θεοφιλέσι προφήταις Φησὶ αὐτὸν, καὶ χρησμοῖς τὰ πολλὰ παιδεύσαι τε καὶ θεσπίσαι τὰ μέλλοντα ἰσορροπῶν πνεύματι καὶ Κυρίου ὡς Φησὶ τε καὶ εἰς λόγους τῶν Προφητῶν εἰσεῖν μνημονεύει. Jam divinum hocce verbum, a Patre hominum in salutem missum variis omnino modis Scriptura divina representat. Et Abrubamo quidem atque Mose ceterisque Prophetis Deo carissimis non se modo videndum exhibuisse, verum etiam & docuisse multa, & futura prænuuntiasse testatur, quoties Deum ac Dominum aut apparuisse Prophetis, aut cum iis colloquutum esse commemorat. Et in Demonstratione Evangel. in eo totus est Eusebius, ut Deum per Christum in V. T. Patribus Mose & Pro-

D

phe-